P r a e f a t i o.

Constat inter omnes, J. H. Vossii commentarios in Bucolica et Georgica Virgiliana et multiplice rerum antiquarum doctrina et vera interpretandi subtilitate atque diligentia adeo excellere, ut cum praestantissimis operibus ejus generis ex seculo decimo sexto vel septimo jure conferri possint. Quin adeo prae Lipsiis et Casaubonis id Vossius praecipuum habet, quod res ob vetustatem a nobis remotissimas, ut veterum fabulas, opiniones de orbis terrarum forma et descriptione, vitae publicae privataeque mores et instituta, ita illustravit et oculis nostris admovit, ut homines antiquos agentes videre, et cum iis tanquam cum praesentibus versari nobis videamur. At vero ne nostri quidem egregium hoc opus satis cognitum habent, nedum externi, Galli et Britanni, qui quamquam nuper ad nostras quoque litteras animum applicare inceperunt, tamen linguam nostram raro ita perdiscunt, ut libros, qui genere dicendi exquisitiore et aliquantum a communi usu abhorrente, ut Vossiani, conscripti sunt, facile intelligere et in usum suum convertere, possint. Hanc ob causam cum aliis jam litterarum laude insignibus viris aequum visum est, eos commentarios in linguam eruditorum i. e. latinam converti, ut copiae eorum externis quoque paterent, tum Vossius ipse, ut saepe ex eo coram audivi, maxime huic sententiae favebat, si provincia ita administraretur, ut interpretatio latina Germani operis ingenium et virtutem quodammodo referret. Unus tandum adhuc, quod sciam, hunc laborem aggressus,

sed non ultra quatuor primas paginas progressus est, ut res malis avibus suscepta esse videatur. Non igitur ego, et J. Freudenbergius, juvenis mihi amicissimus, quibus in animo nunc est, opus illud Vossianum latine interpretando ultra Germaniae fines proferre, ne consilium nostrum reprehendatur, veremur; at magis id veremur, ne vires nostrae tantum onus sustinere non possint. En specimen ad id ipsum comparatum, ut hominibus eruditis copiam faciamus de partibus a nobis susceptis publice disceptandi. Quodsi judicum intelligentium suffragia hoc periculum probaverint, fortiter pergemus, et conjunctis viribus rem ita urgebimus, ut duobus aut tribus summum annis totum opus absolvatur.

Scripsi Crucenaci Idib. Sept. a. MDCCCXXXI.

Dr. **PETERSEN.**



Explicatio eclogae nonae.

Argumentum

Anno U. 714, aestate

C. DOMITIO CALVINO, C. ASINIO POLLIONE CSS.

Virgilii aetatis a. 29 — 30.

Ad primam eclogam vidimus, in agrorum divisione quae anno proximo facta erat, Virgilium Romae, Pollione et Maecenate commendantibus, a Caesare Octaviano fundi paterni Andini incolumitatem impetrasse. Ipso exeunte mense Octobri anni 713, dum post Pollionis e Venetis discessum Mantuani omni praesidio contra veteranorum impetum destituti, urbe Cremona, quae iis assignata erat, cedunt bonaque sua asportant, Tityrus, domus Maronianae libertus, boves suos in saltibus patriis securus pascebat.

Aliquanto post eclogam illam, quam absens scripserat, Virgilius satius esse duxit, heredium suum ab injuriis coram defendere. Cum Caesaris Octaviani decreto, tum eorum praesidio confidebat, quos inter agrorum dividendorum curatores sibi devinxerat, Vari tribuni militum, et Cornelii Galli, quocum ex anno jam 712 per Asinium Pollionem, communem amicum, conjunctus erat.

Frustra: veterani superbientes qui, quantum invalida adhuc triumvirorum potentia suo auxilio indigeret, satis intelligerent, nec Caesaris jussum curabant nec eorum, quos negotio praefecerat, admonitiones. Mantua cum Ande dividitur, et Virgilius non sine capitis periculo ad fugam coactus est. Quod quidem factum esse videtur exeunte vere anni 714, quum As. Pollio Cs., qui bello Perusino prope Ravennam restiterat

(I., 11), itinere in Italiam inferiorem suscepto, Mantuanos turbae rapacissimae libidinibus plane exposuisset.

Neque enim dubitandum est, quin Virgilius hanc eclogam, qua sua sibi servare studebat, haud cunctanter scribere aggressus sit, versusque 60 docet, eam solstitiali tempore compositam esse. Ex secessu in Syronis villula suburbana v. 4, quo cum suis confugerat, eam ad Varum ducem misit, cuius opera Caesari Octaviano agellum suum servandum commendaret.

Inventio simplex est et ad consilium accommodata. Moeris, villicus Menalcae, quo nomine Virgilius, Julii Caesaris laudator, in ecloga quinta se ipsum designat, possessori immisso haedorum par Mantuam portat. Lycidas ejus familiaris, cantandi studiosus ex regione Andina, in via eum offendit. Colloquuntur de Menalcae fortuna, locosque ex ejus carminibus modulantur, caritate et misericordia commoti. Quae quidem cantiunculae abruptae quamvis fortuito natae esse videantur, eodem consilio scriptae sunt, quo ecloga quinta cum secunda et tertia quondam ad Caesarem Octavianum (prol. ad V.) missae, ut poetae eidemque Julii Caesaris admiratori gratiam et favorem concilient.

Annotationes.

V. 1. Moeris, villicus agelli Maroniani, et Lycidas, adolescens carminum studiosus ex propinquo pago conveniunt, ubi duae viae Mantuam ferentes competunt, unaque progrediuntur inter sermones et cantus. Lycidas, Ande *hospes*, nondum audivit, etiam poetam Andinum, cui laudes Julii Caesaris multasque alias debet cantiunculas, nuper fundum suum amisisse. Eodem modo Theocrito, ad solemne Thalysiorum sese conferenti homo familiaris Lycidas, caprarius Cretensis, in trivio occurrit, eumque ita alloquitur Id. VII, v. 21.

Σιμιχίδα, πᾶ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδα ἕλκεις; — *Quo te pedes?* intellige *ducunt:* quae quidem locutio in proverbio est de iis, qui temere pergunt. Plinius Secundus VII, 5 ad uxorem ita scribit: « ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt. » Idem vult Theocriteum illud: *πᾶ τὺ πόδα ἕλκεις;* et XIII, 70. XIV, 42. Hercules furens atque femina quaedam verberata, *ᾳ πόδες ἆγον*, festinant. Is igitur, qui interrogat,

miratur, quid sit, quod Moeris, amicus suus, villicus diligentissimus, in urbem otiosus ambulet. Adverbia germanica *wohin* et *dahin* constant ex syllabis ancipitibus, quae pro collocationis et gravitatis diversitate aut producuntur aut corripiuntur. Hafn. C. *aut quo via* legit, ut ed. Ven. An fortasse librarius *haud* voluit pro *nonne?*

V. 2 — 6. Moeris jam annis provectior v. 51 se tam diu vixisse miseratur, ut dominum ab advena ejectum videret gregumque proventum ipse illi in urbem ferre cogeretur. *Villicum* Columella servum esse jubet, a pueritia rusticis operibus educatum spectatumque, aetatis nec primae, nec ultimae, maxime ab anno trigesimo usque ad sexagesimum, litteratum aut certe memoriae tenacissimae, neque urbem neque ullas nundinas nisi vendendae aut emendae rei necessariae causa frequentantem, lenem, fidelem, attentum, a superstitione liberum. *Vivi pervenimus, ut* — i. e. eo, usque eo, ad ista, ut —. Burmanno *eo* omissum durius esse videtur; recte, si *venimus, ut* legeretur. Veteranus cui Virgilii fundus in portionem cesserat, utrum advena fuerit illis tantum in agris, an in Italia ipsa, utrum Arrius centurio, an Clodius, quem alii vicinum modo esse statuunt, an Milienus Toro primipilaris; nec potest decerni, nec si posset, multum attineret. *Nostri* agelli, ut v. 11. carmina *nostra,* est oratio caritatis sincerae. cf. I, 8. Ex commoto animo profecta verborum inversio, quae apud poetam ipsum major etiam est, quam in nostra imitatione, pronuntianda est concitate. Lectores frigidi, vel adeo calumniantes, quae apud Homerum et Virgilium profecta sunt e natura, ea *suae naturae pravitate* detorquent. *Haec mea sunt!* solemnis fuit vindicationis formula. *Colonus* hic generatim pro agrorum cultore a *colendo,* sicut auctore Catone veteres Romani virum bonum cum laudabant, bonum agricolam dicebant bonumque colonum. *Veteres coloni,* pater et filii; nam familiam cum omni supellectile miles sibi vindicare solebat, I, 11. Donato teste vit. Virg. 25. Virgilius jam adoleverat, cum parentibus, quibus larga quotannis munera miserat, privatus est. Atque ex X^{mo} Catalectorum carmine, quod supra VI, 31 attulimus, manifestum fit, Virgilium inter agrorum dividendorum turbas cum suis, in quibus pater fuit, in Syronis philosophi, praeceptoris quondam sui, villam suburbanam (Phoc. v. 63) confugisse. *Fortunam* accusat, non eos, qui cum potestate sunt. cf. VI, 20. *Fors* seu *Fortuna Fors,* dea caeci casus, Ovid. Fast. VI, 773. Fortuna versat, regit omnia, in proverbio fuit, Sallust. Jug. I, 51. Tres Hafn. A. C. D. *sors* habent, vitium scriptionis. Pro *non* veteres non modo *ne* dixerunt, sed spiritu aucto (ut *pro, proh, proximus*) etiam

nec, quod Festus, Cic. leg. III, 10, et vocabula *negotium, negligens, necopinatus* et *necdum* v. 26, demonstrant. Hoc *nec* tres habent Hafn. B. C. D., et C. cum quibusdam aliis *vertat bene* ordine minus usitato, qui est apud Terentium Adelph. II, 1, 37. Phorm. IV, 3, 73, et hic numerum efficit venustiorem. Propter priscum verborum ordinem et praegressum *versat* equidem *vortat* lego, in quo scribendo saepe erratum est. *Mittere* i. e. ferre, III, 71. *Haedi* si, ut vulgo V, 12, primarum frondium tempore editi fuerant, solstitio jam aestivo depulsi, agi poterant. Sed hi duo, quos Moeris gestat, chordi fuerint necesse est.

V. 7 — 10. Quid? dominum vestrum esse expulsum? At hercule audieram nescio quem ex pago vestro asseverantem, Menalcam vestrum, juvenem Virgilium, qui Menalcae nomine mollissimum nuper in Daphnidis mortem modulabatur carmen, totum fundum a collis jugo usque ad Mincium veteresque fagos cantu vobis suo servasse. Factum esse videtur non sine consilio, quod Virgilius ruris paterni fines hominem describentem facit, qui agrorum vicinorum limites plane noverit. Nam fundus ut esset ei restitutus, fines certe veterani atrocitas diminuere potuit. Veteres grammatici litem memorant de finibus exortam inter Virgilium, quum divisores fundum ejus nondum attigissent, interque proximos colonorum bellicosorum, quorum unum, nomine Clodium, rem gladio dirimere conantem, poeta aegre effugerit. Virgilii rus, ut I. Ecl. v. 49 — 58 ostendit, e lapidosis saltuum jugis ad Mincii palustris inque lacum diffusi prata leniter demittebatur, ubi alterius vicini limes viva sepe salignea, alterius, ut hinc apparet, *veteribus fagis* erat designatus. De posteriore limite, minus certo, lis fortasse orta in causa fuerit, ut diserte ejus mentio injiceretur. Alii agros *terminabant* Ge. II, 389 pinis ordine positis, cupressis, ulmis maritis, etiam oleis, ut est in Cic. or. pro Caecina, et apud Horat. Ep. II, 2, 170 populis,

— qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit jurgia —

Fagis illis *cacumina jam fracta* erant, vetustate et procellis, quandoquidem avis jam proavisque limites testatae fuerant. Pomponius et Ascensius vi eas hostili laesas putant; at ejusmodi vis nec prima abscidisset cacumina nec sola, atque Lycidas limitem sibi adhuc incolumem fingit. Pro *demittere* Hafn. A. et D. *dimittere* legunt, sed cuncti *veteres fagos,* non vulgare istud *veteris fagi.* Ex *nostrum,* quod cdd. persaepe exhibent, vera lectio *vostrum* ultro proficiscitur. Menalcae nomine poetam ipsum, eclogae quintae

de J. Caesare inter deos relato auctorem, intelligendum esse, confirmatur versu 18, ubi Lycidas hanc eclogam ut regionis illius solatium laudat. Itaque Lycidas non intelligit, quomodo Caesariani laudatorem Julii Caesaris contra fidem a Caesare adolescente datam spoliare potuerint.

V. 11 — 16. Fama quidem fuit, Caesarem Octavianum carminis illius causa nostros agros ab omni divisione liberasse; at subsequentes bellorum tumultus omnia rescidere: et praedium rapiebatur, et nos ipsi in pericula veniebamus. — Octaviani imperia, auctore Appiano, in agris dividendis a militibus, qui sese potentiae ejus subsidia esse sentirent, negligebantur; quidquid placuit, ex agris propinquis auferebant, atque adeo opulentissimis Italiae urbibus cunctis inhiabant. Quum denique Pollio exeunte anno DCCXIII cunctanter primum, deinde a. 714 cum Domitio Ahenobarbo, libertatis studioso, conjunctus, apertis odiis contra Caesarem surrexisset, tunc ipsa Pollionis amicitia in causam verti poterat, ut milites ferocius grassarentur; nec Virgilius supervacaneum esse putavit, quid sentiret, Varo praefecto, vel, hoc interprete, ipsi Caesari denuo declarare. *Carmina nostra* ex ore servi fidelis, eorum quae dicta sunt austeritatem subridendo mitigant. Hafn. A. *tanti* habet. *Mavors*, Mars. *Chaoniae columbae* ab oraculo Dodonaeo Epiri, quae sedes fuit veterum Chaonum. Quae accedit sanctitatis divinae notio, accommodata est ad exterrita poetarum carmina. *Dicunt* homo indoctus modeste addit. *Quod nisi*, propter quod nisi Ge. I, 155. II, 425. Nisi a cornice monitus quavis ratione litem cum veterano nascentem praecidissem, et ad libidinem ejus me totum accommodassem, ego ipse, ut nuper dominus meus, prope occisus essem. *Quacunque* intellige *via foret*, dicendi forma vetustatem redolens, ubi *quisquis* et *quicunque*, ut *quisque*, nunc *omnis qui*, nunc *quilibet* significarunt III, 109. In Hafn. C. exstat vitiose: *ex quacunque*. *Incidere*, insecare, ut vites novellas III, 11. *Novas lites*, recentes, modo exortas. *Sinistra ostenta* i. e. a sinistra, ab ortu venientia, quae fere fausta erant Romanis ad meridiem spectantibus. Hic id infaustum fuit, quod ilex VII, 1, arbor frugifera *cava* erat, cui insidens *sinistra cornix* mala tantum canendo praenuntiavit. Cicero divin. I dicit, » a dextra corvum, a sinistra cornicem ratum facere. « Apud Plautum quoque Asin. II, 1, 12. aves addicentes sunt picus et cornix ab laeva, a dextra corvus et parra; at picus *ulmum tundens* observanti significat — verbera.

V. 17 — 25. Cum horrore Lycidas nuntium audit atrocem, Menalcam cantorem, quem in deliciis habet, in capitis periculo fuisse. Quis tum, Menalca, exclamat, carminibus solatii tam plenis, qualis tua Daphnidis erepti consecratio fuit, miseriam nostram consolabitur? Quis aliis nos poematis pastoritiis delectabit? — Est elegans inventio, quod fingit, cantum illum Menalcae nomen toti regioni, ipsis mancipiis rusticis commendasse, cunctisque colonis, Julium Caesarem patronum augustissimum lugentibus solatium attulisse. In Hafn. C. est *haec* pro *heu*. Loci, quos Lycidas ex V<u>ta</u> ecloga respicit, initium sunt carminis lugubris: v. 20.

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant; vos, coruli, testes, et flumina, Nymphis.

Et v. 40.

Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras.

Ex parodia, qua J. Caesar consecratur et in patroni modum etiam post mortem celebratur, sine acerbae cavillationis specie in hoc sententiarum contectu nihil potuit afferri. Pro *Nymphas* Hafn. C. habet *silvas* a secunda manu. In ecloga V<u>ta</u> dictum est *inducere fontibus umbras*, fontibus umbras circumdare; hic forma mutata *fontes inducere umbra*, fontes umbra circumdare. Quis *spargeret*, quis *induceret*? i. e. quis sparsos, inductos caneret? et eo quidem ardore, ut acutissime addit Taubmannus, quasi res ipsa ante oculos ponatur. cf. VI, 62.

V. 21 — 25. Aut quis tam scita nobis carmina pastoralia caneret, quale illud, quod nuper tibi, Moeri, sublegi, ubi cum gestu ante fores pulcrae Amaryllidis cantasti? Hoc *παρακλαυσίθυρον* liberior fuit conversio idyllii Theocritei tertii, quam Virgilius aut scripserat vere aut scripsisse fingit. In quo carmine poeta silvestris, caprarium agens, cantat saltatque, quasi pro crudelis Amaryllidis antro, ut se amet, precetur. Initium est:

Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα, ταὶ δέ μοι αἶγες
Βόσκονται κατ᾽ ὄρος, καὶ ὁ Τίτυρος αὐτὰς ἐλαύνει.
Τίτυρ᾽, ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε, Τίτυρε: καὶ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μή τυ κορύξῃ.

Hinc apparet, Amaryllidem etiam apud Virgilium fictam puellam esse, cui fictum carmen a caprario non minus ficto cum cantu saltuque offeratur. Nam quod nonnulli statuunt, Moerim seniorem cum vera domina congressum nocturnum habere, ejusque

aemulum subsidentem Lycidam, satis habere, carmen inter eundum decantatum ab eo excepisse, quemadmodum fere currucam illam adultero pileum surripuisse narrant; agedum, ridiculorum arbitri, utrum facetius esse putatis? Quot carmina bucolica tertiae inprimis et septimae eclogarum, quot Horatii aliorumque carmina imitantia, crassiore Minerva ad verbum sunt enarrata! *Nuper,* quum nulladum fundi Virgiliani divisio metueretur, dierum aliquo, ut videtur, festorum, quales auctumno vel hieme geniali Ge. I, 301, a rusticis agitari solebant, ad quem familiares ex vicinia carminum studiosi, ut in agello Horatiano Sat. II, 6, 65, ante Larem domesticum fuerant invitati, Moeris unum ex novissimis juvenis Virgilii carminibus laetus animi cecinerat, quod quidem Lycidas clam exceptum memoria tenebat. *Delicias nostras,* amores nostros Lycidas vocat fictam illam Amaryllidem, siquidem ea ut Phyllis III, 76, 78, 107, cum saepe alias in canticis bucolicis amatae personam tuebatur II, 14. III, 81, tum etiam in versibus Lycidae, cantoris rustici v. 32.

Se ferre, se jactare, contentionem significat ejus, qui se ire simulat. *Caper petulcus,* ex Theocrito sumtus, est cornibus magnis et albis longisque villis, e caprarum genere, quae nunc dicuntur Angoricae, quas quidem Siculi et Italici ex Africa transtulerunt Ge. III, 311. Virgilii secessus hoc carmine nuper decantato notari non potuit: nam ut alia praetermittam absurda, non hodie demum eum Lycidas audisset cum miratione. Quid? si Lycidas, hoc ipso carminis loco eligendo, aliquid habeat in recessu? Id non abhorret ab ejus ingenio. Poeta certe, quum locum in hoc sententiarum complexu afferat, non utique videtur cavere voluisse, ne Varus, vel potius Caesar Octavianus per caprum petulcum festive trucis veterani admoneretur.

V. 26 — 29. Immo vero, respondet Moeris afflictus, quod majus est, quam ludicrum illud carmen amatorium, quis tum nobis poema absolveret in Varum inchoatum, cujus eum haec audivi canentem? De Varo, tribuno militum eodemque agris dividundis curatore, qui inde ex auctumno proximo, postquam Asinius Pollio decessit, circa Virgilii patriam summam imperii obtinuit, vestigia conservata ad VI, 6 conati sumus aperire, aegreque L. quendam Alfenum Varum, qui Syronem Epicureum, Virgilii praeceptorem, audiverat, eruimus. Cujus cum Virgilio necessitudo itane adhuc levis fuit, ut ad poetam innocentem ex Caesaris jussu tutandum cohortatione indigeret? Tam frigidus homo nec Virgilii cantu esset commotus, neque eclogae VI[tae] ad se missae aures ita avidas praebuisset. Si Varus noster, quod cur dubitem non video,

idem est, atque amicus Horatianus Od. I, 18. Ep. V, et Virgilii ille enarrator, a Quintiliano X, 3, 8 et Philargyrio Ecl. II, 70 laudatus, jam familiaritas, quam postea cum ingenii monumentis contraxit, humanitatem ejus testatur. Quantum potuit, fecit, ut poetam a veteranorum ferocia defenderet; sed quum minus valeret ipse, acriora Caesaris edicta optavit, quae ut exprimeret, poetae ipsi suasisse videtur, ut palam se ad fidem a Caesare datam solvendam adhortaretur. Virgilius hercule carmen in Vari laudem ne inchoaverat quidem, nedum ei ipsi, ut Servius animo fingit, rudem adumbrationem familiariter recitaverat. Qui enim Moeris hoc ipsum fragmentum elegisset, quod non promittit nisi laudem futuram et incertam? Ornatu poetivo detracto, hic est sensus: si tu, Vare, Mantuam nobis conservaveris, quae licet insons ob Cremonae vicinitatem vexatur, tuum nomen carminibus nostris celebrabitur. Verecundior, quam ut suis cantibus aliquid tribuat, Virgilius Varo conservatori eaque re Caesari Octaviano, cujus res ille tuetur, praeconium poetarum Mantuanorum, in quibus Lycidas se numerat v. 32, pollicetur. *Varo,* in ejus laudem. *Necdum,* antique pro *nondum* v. 6. *Nondum,* quod postea in usum venit, Hafn. C. D. tenent. *Cremona* ad Padum sita, urbium fuit rei publicae amantium, quas Caesar Octavianus ex Triumvirorum promisso victricibus partium suarum legionibus concessit. Quum vero miles ferox fines ubique migraret, multoque plura promissis et optima quaeque raperet; Mantua ipsa, quamvis cum Caesarianis sentiret, agros suos amisit. Veri est simile, non solum Varum, sed etiam Pollionem, foedere Brundusino sub anni finem juncto, operam dedisse, ut, quod Servius in commentarii proëmio dicit, poetae integer fundus, Mantuanis pars agrorum restitueretur. *Misera Cremona,* magis miseratione digna, quam accusatione. Generosior fuit poeta, quam qui victis criminandis gratiam aucuparetur. Pervagatissima poetarum imago *cycnus* fuit, qui postquam Phocaeenses terras ad occasum vergentes detexerunt, inde ex Hesiodi aetate, avis cantatrix habebatur Apollini sacra. Ep. myth. II, 11 — 13 (49 — 51). Campus Mantuanus, quem Virgilius dicit Ge. II, 199:

Pascentem niveos herboso flumine cycnos

ad hanc tritam allegoriam Virgilium sponte ducebat. Pro *ferent,* quod certo asseverat, *ferant* habet etiam Hafn. C.

V. 30 — 36. Per te omnia, quaecunque agricolae grata sunt, Moeri, obtestor, ut de Menalcae carminibus plura canas! Nosti, quam amans sim boni cantus. Et ipse aliquid sum poetae, quanquam prae veris illis magistris nihil mihi esse videor, nisi

tirunculus et nugator. Sui laudem Virgilius ex consulto temperat, primum rustica laudantis simplicitate, qui versus ejus propterea libentissime audit, quod ipse tanquam honestissimae versificandi artis sodalis inter agrestes colitur, et quamvis summa modestia, cum clarissimis, qui tum florebant poetis, se audet comparare; ut fere apud nos haud inscitus cantor paganus Hendeliis se et Schulziis modeste postponit. Deinde, ut e versu 44 apparet, Lycidam magis argumento, quam opere delectari facit, quippe cui maxime cordi sint carmina ad Mantuam conservandam comparata. Ita venusta quadam imitatione Romanus Syracusani auctoris sententiam suam fecit. Theocrit. VII, 35:

Ἀλλ' ἄγε δή, ξυνὰ γὰρ ὁδὸς, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς,
Βωκολιασδώμεσθα· τάχ' ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.
Καὶ γὰρ ἐγὼ Μοισᾶν καπυρὸν στόμα, κἠμὲ λέγονται
Πάντες ἀοιδὸν ἄριστον· ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθὴς,
Οὐ δᾶν· οὐ γάρ πω, κατ' ἐμὸν νόον, οὔτε τὸν ἐσθλὸν
Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω, οὔτε Φιλητᾶν,
Ἀείδων· βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Sic obtestantis est. Ita domini tui res rustica, cui tu es praepositus, malis prohibeatur, bonis augeatur! In praedio Virgiliano de jugis silvestribus ad Mincii prata devexo v. 7, *mellificium* egregie exercebatur I, 54. VII. 13, et pecuaria Ge. II, 198. *Taxi,* apibus infestae Ge. IV, 47, *Cyrneae* sive *Corsicae* appellantur, ut quae mel, quod circa Mantuam cum Hyblaeo certabat, Corsico noxia amaritudine adaequarent. Nec vero haec infamis amaritudo, quam Diodorus et Plinius buxorum frequentiae, Ovidius cicutae, Martialis thymo ibi crescenti tribuunt, obstitit, quin mellificium in *Cyrno,* sive Corsica magnopere vigeret, quum auctore Livio Romani insulae devictae ceram imperaverint. Haf. B. *Gryneas. Cytisi* frondes tonsae Ge. II, 431, et recentes et aridae, alibili pabulo erant, cujus cultus villicum indicabat intentum I, 78. *Distendant,* quo verbo Virgilius semper utitur, agnoscunt etiam quatuor Hafnienses, quanquam Heinsius in Mediceo reperit *distentent. Incipe* — solemnis adhortatio ad carmina bucolica III, 52. V, 11. *Pierides,* Musae veterum Graecorum, a Piero, Thraciae, postea Macedoniae monte VI, 13. Et mihi Musae dederunt *spiritum poeticum;* et ego *carminibus* eum ruri ostendi; et me *pastores,* quibus cecini, dicunt perfectum adeo sanctae Musarum artis magistrum, *vatem* divinum. Sed hoc nimium est! Talis honor non debetur, nisi poetis, qualis *Varius* est et *Cinna,* ad quos ego nihil

sum! — Nomen *poetae* minus clarum Lycidas sibi ipse tribuit, illustriorem *vatis* titulum modeste deprecatur: ut Simichidas Theocriteus Musarum quidem praeconem, sed non unum *praestantissimorum poetarum* se appellari vult. *Vates* a vetusto Graecorum verbo ἤτης pro φήτης, proprie fuit carminibus fatidicis initiatus, ut clari antiquitatis bardi. Auctor dialogi, qui Tacito annexus est, Saleium dicit egregium *poetam*, vel si hoc honorificentius sit, praeclarissimum *vatem*. Eandem gradationem supra tenuit Thyrsis iste inflatus VII, 28. Translate interdum quicunque arti alicui initiatus erat, ut legum peritiae, et medicinae, *vates* dicebatur.

V. 35 — 36. Vates ut dicaris, te ut acrem *Varium*, ut diligentem *Cinnam* cecinisse convenit. *Vario* pro codicum corrupto *Varo* Servius et Schol. Cruq. Horatii Od. I, 6 legerunt, nobilemque Thyestae, tragoediae post pugnam Actiacam editae, scriptorem intellexerunt. Et auctoritas Theocritea VII, 40, et sententiarum series duos postulant poetas, quorum carmina cycnea Lycidae a nemine aequari posse videantur. Sed Varum, et bellatorem et philosophum, simul poetam fuisse, neque in hac ecloga, neque in sexta, quae ejus laudibus dicata est et Galli ingenium extollit, vel verbo significatur. *Lucius Varius*, quem Horatius, ipsius familiaris, ut poetam epicum, ut tragicum Quintilianus admirabatur, nisi Schol. Cruq. errat, carminibus altioribus, quemadmodum Virgilius, proluserat eclogis, quas quidem Lycidam vel maxime animo habuisse credi potest. At certius est, Varium tum temporis carmen heroicum panxisse, unde Macrobius VI, 1, 2, quatuor laudat locos praestantissimos, quos Virgilius partim postea imitatus est, partim anno proximo 715 in octavam eclogam v. 88 induxit. Ex inscriptione « *de morte*, » et quod fragmenta ad res publicas spectant, carmen fuisse videtur in Julii Caesaris mortem. Varium mature Caesaris partes secutum esse, jam inde apparet, quod brevi post proelium Philippense Horatius (Sat. I, 6, 55) ab eo et Virgilio Maecenati fuit commendatus. *Helvius Cinna*, praenomine Cajus, vel Quintus, Catulli amicus, carminibus amatoriis et epigrammatis nobilis fuit, inprimis autem Smyrna, opere heroico usque ad obscuritatem erudito, cui, quamvis modici esset ambitus, novem integros annos impenderat. Veteres grammatici non sine veritatis specie tradunt, ad hanc curam illo tempore inauditam Horatium verbis illis: *nonum prematur in annum* respexisse. Et Suetonius memorat, Crassitium grammaticum commentario Smyrnae edito adeo inclaruisse, ut versibus celebraretur, multosque ac nobiles, in his Julium Antonium, Triumviri F., (nam Romani principes eruditionem colebant) scholam

ejus frequentasse, ut Verrio quoque Flacco compararetur. Carmen hoc fuit de natalibus Adonidis, quem Smyrna sive Myrrha suo ipsius patri peperit, id quod certissimum fit ex hoc apud Priscianum VI versu, sive legis:

At scelus incesto *Cinyrae* crescebat in alvo,

sive, ut Burmannus emendare vult:

At scelus incerto *Smyrnae* crescebat in alvo.

Sunt qui Cinnam nostrum Helvium Cinnam, tribunum plebis, fuisse putent, quem in Caesaris, amici ipsius, funere plebs seditiosa, quasi Cornelius Cinna praetor is esset, occidit. Sed nominis similitudo nihil probat, cum neque tribunum quisquam quatuor, qui ejus mentionem faciunt, scriptorum poetae laudibus excelluisse, neque poetam rursus grammatici tam insigni morte occubuisse tradant. Veri simile est, poetam Asinii Pollionis expeditionem adversus Parthinos susceptam a. 715 vidisse. Supersunt enim ex ejus *Propemptico Pollionis* aliquot versus (Gramm. Putsch. p. 99. Barth. adv. IV, 20), quorum argumentum carmini in abitum ducis, cujus reditus cum spoliis opulentis exspectabatur, omnino respondet. Neque dubitari potest, quin diligens Cinna inter clientes fuerit Asinii Pollionis, artificis item diligentissimi III, 86, qui adolescens illum in Catulli, communis amici, XII, 6 — 9, contubernio jam saepe viderat. *Digna Vario et Cinna*, digna quae comparentur cum illis praestantissimis, prope ut VIII, 10. Profitetur igitur ex Lycidae sui ore Virgilius, se paucorum illorum esse, qui ad condendam Romanae poesis auream aetatem nati, rudem ingeniorum vim Graecae artis disciplina excolere auderent, adversantibus non iis modo, quibus duce sola natura versus summisso vitae quotidianae sermone fluebant, sed calumniosa etiam grammaticorum nova fugientium turba III, 90. Postea quoque, ubi aeterna jam artis monumenta invidiam superaverant, Horatius invehitur Ep. II, 1, 89 ut in malignos veterum, qui naturam solam secuti sunt, nimios admiratores:

Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque odit.

ita in ea, quae recentior Musa levia effudit Ep. II, 3, 289.

Nec virtute foret clarisve potentior armis,
Quam lingua Latium, si non offenderet unum —
Quemque poetarum limae labor et mora.

Lima, audite, Germani! lima vobis commendatur, non illa quidem aspera frigidi regularum cantoris, qui ex Pindari descriptione (Ol. II, 86.) ingenio destitutus inepta garrulitate loquax inania crepat, sed subtilior ex Minervae officina, qua Homerus opus suum usque ad summam formae, quam animo conceperat, perfectionem expolivit; quam quidem Ovidius intellexit (Ep. ex P. III, 9, 24):

Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Strepens anser, cujus asperitatem asper versus apud Virgilius felicius, quam in nostra imitatione exprimit, argutis cycnis oppositus est, ut rana apud Theocritum VII, 41 locustis, et crocitantes Musarum aves Homero v. 45.

Ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
Ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος,
Καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι, ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν
Ἀντία κοκκύσδοντες, ἐτώσια μοχθίσδοντι.

Simul *strepens* anser memoriam affert Anseris, miseri poetillae, cui Antonius pro laudatione agrum Falernum dono dederat. Quam quidem rem jam Cicero in or. Philip. XIII, 5 denotavit: » de Falerno Anseres depellentur. « At verborum ambiguitas? Nolite obstupescere! Verba duos sensus significantia, inquit Quintil. VI, 3, 48, bona sunt, si rebus ipsis adjuvantur. Gerstenbergius interroganti, num verba ambigua *probaret*, felici ambiguitate respondit: » si proba sunt. « Virgilius pro humanitate sua, neque Anserem malo nomine signatum, neque qui ejus simillimi erant ingenio, Bavium et Maevium III, 90 irrisisset, nisi animo infesto, ut illi, melioribus hujus saeculi poetis obstrepuisset. Propertius II, 34, 83 auctor est, cycnum Mantuanum postea Anseris impuniti convicia honesto silentio contempsisse. Hafn. C. legit: *argutus anser strepere inter olores*, cui mutationi Maevius haud dubie plausisset, quod versum ordine quotidiano — complet. Virgilii inversio antiquitatem prae se fert, ut illa Ennii: *volat super impetus undas.*

V. 37 — 43. Moeris ad aliud domini carmen animum intendit, ex quo ei tandem allocutio Polyphemi amantis ad Galateam Nereidem VII, 43, quae et ipsa remotior quaedam Theocriti imitatio est, succurrit. Tam *nobile carmen,* inquit se obiurgans, me oblivisci non aequum fuit! Apud Theocritum XI, 42, Cyclops pubescens auctumnali tempore, procellosa vespera, in scopulo mari imminente sedens ad Galateam latentem haec canit:

'Αλλ' ἀφίκευ τὺ ποθ' ἀμέ, καὶ ἑξεῖς οὐδὲν ἔλασσον.
Τὰν γλαυκὰν δὲ θάλασσαν ἔα ποτὶ χέρσον ὀρεχθῆν.
"Αδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς.
'Εντὶ δάφναι τηνεί, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι,
'Εντὶ ψυχρὸν ὕδωρ, τό μοι ἁ πολυδένδρεος Αἴτνα
Λευκᾶς ἐκ χιόνος πότον ἀμβρόσιον προΐητι.
Τίς κὰν τῶνδε θάλασσαν ἔχειν ἢ κύμαθ' ἕλοιτο;

Et post v. 62:

'Εξένθοις, Γαλάτεια, καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο,
"Ωσπερ ἐγὼν νῦν ὧδε καθήμενος, οἴκαδ' ἀπενθῆν.

Virgilius contra ventosum diem vernum eligit, quo Galateam petulanter inter undas lascivientem amator, ut ad se in terram veniat, blande rogitat. Suo utraque inventio consilio respondet. Illic nympha ad noctem auctumnalem in antrum amoenum, lauris cupressisque munitum, invitatur; hedera nigra III, 39, quae est pulcrior species monstro montano, coronas ei offert, vitisque dulces uvas, quodque ei lautissimum est, ad potionem ambrosiam delicatissima scaturit aqua nivalis. Hic mollioribus sensibus, quibus verno tempore animus perfundi solet, imbutus, flores effert circa torrentes fluvios, ad quos pascit, populumque candidam, quae antro imminens ventis agitatur, et contra solis ardorem umbraculum vitium arboribus applicatarum, quae ad Aetnam mense jam Aprili pullulant VII, 48. *Quisnam* disjunctim Ge. IV, 445. *Ver*, exitus ejus circa Pleiadum ortum G. I, 313, quo jam tempore in Sicilia populus candida ab inferiore foliorum parte floccis splendet, et vites in palmites crescunt. *Purpureum*, candide splendens, Ge. IV, 54. In *fundendo* (a *fuo*, *funo*, *fudo* I, 49.) vis est generandi et abundandi, ut in cognato *χέειν*, et in vetustissimo Germanorum vocabulo *getan*, gignere et fundere.

V. 44 — 45. Moeris putaverat, Lycidam plura, quae Menalcas fecerat, carmina festiva cujuscunque generis audire velle. Sed Lycidas mavult plura id genus, quale illud ad Varum, et quae agant de finibus Mantuanis conservandis. Idcirco, quidnam, ait, de versibus illis adhuc memoria tenes, quos tu solus nocte sideribus illustri cantabas? Numerorum motum ipse adhuc scio, verba nescio. Simul modos memoria retentos verbis aliquot suppressis eum murmurasse cogitandum est. *Quid meministi* (e V. 38.) *ea carmina, quae. Nox* h. l. est incipiens sive vespera G. III, 338.

Pura, innubila, ut nova stella, cujus carmen mentionem fecit, clara in coelo conspiceretur. *Numeri*, motus dimensus, modulatus, hic solius vocis, ut ex opposito apparet.

V. 46 — 50. Moeris versus aliquot carminis canit, quod Virgilius Menalcae nomine jam a. 710 in Julii Caesaris stellam se panxisse profitetur, ubi fortunae casibus, qui postea inciderunt, nondum obnoxius, integro tantum defuncti amore moveri potuit. *Daphni* (nomen est pastoris ficti), quid antiqua sidera suspicis? Nova stella, clarissima Caesaris anima, cursum illum coelestem ingressa est, ut frugibus maturitatem ferret, uvis colorem, arboribus fecunditatem. Non multo post J. Caesaris interfectionem, quae Idibus Martiis 710 accidit, quum Octavianus heres ludos ab illo votos in dedicatione aedis Veneri Genetrici conditae celebraret, per septem dies continuos in regionibus coeli cauro subjectis, circa undecimam horam magna stella crinita affulsit, quam vulgus animam esse Caesaris in coelum recepti credidit Ge. I, 32, 488. Quo nomine Octavianus simulacro Caesaris stellam in vertice addidit, et in proelio Actiaco hujus stellae imaginem in galea gestavit Aen. VIII, 681, atque in monumentis tam paterni cometae, quam sui sideris natalitii, quem capricornum fuisse perhibebant, insigni cultus est. *Dione*, Oceani et Tethyos filia, ex Homeri fabula mater fuit Veneris, a cujus filio Aenea per Julum Julia familia originem duxit V, 44. Posteriores Diones nomen ipsi Veneri interdum indiderunt, ut Bion I, 93; et Ovidius, qui fabulas diversas commiscere solet Am. I, 14, 33 eam adeo Venerem Dionen vocat, quae (ex Hesiodo) e mari materno emersa cum illa Dione ne conjuncta quidem est. Julius Caesar ipse quaestor pro rostris Juliam amitam, Marii majoris conjugem, defunctam laudavit, quod materno genere a rege Anco Marcio, paterno a Venere oriunda esset. Verba igitur in hanc sententiam sunt: ne suspice, Daphni, antiquos signorum ortus! Plus, quam haec phaenomena ante observata, quae res rusticas, tempestates, fertilitatem significabant, nobis agricolis in posterum valebit nova illa stella, quae ut sidus, ut *astrum* (totum signum) affulgens cursu suo altissimo processit. Hafn. D. vitiose *praecessit*. Est enim illa destinata, ut, quemadmodum nunc, ita in posterum quoque quotannis revertendo *fruges* maturet, *uvas* praecoces coloret, *piros insitas* augeat. Mensem, quo hic cometa apparuit, scriptores non diserte afferunt, nisi quod e proximis post Caesaris mortem fuisse narratur. Nihilominus recentiores, quod eum cum capricorno conjunctum esse volebant, medium mensem Januarium a. 711 ei assignarunt. Sed locus noster non alium mensem admittit, nisi Julium a. 710, cui Octavianus

decreto antea facto hoc nomen pro Quintili imposuit. Mensem Julium doctiores quoque veterum, quos scholiastes Serv. ad v. 48 ante oculos habuit, intellexerunt. Et illius quidem cometae causa splendet apud Ausonium ecl. de mens. 13:

Dionaeo praefulgens Julius astro.

Messis initium capit ab hordeo circa diem solstitialem, ceterisque frugibus per mensem Julium continuatur Ge. I, 316. *Seges,* frumentum satum, vel potius antiquiore vi agricolis usitata *ager satus,* ut in vetustis versibus apud Ciceronem Tusc. II, 5: *etsi segetem sunt in deteriorem datae fruges*, et apud Catonem 37: *segetem stercorant fruges.* Julio exeunte uvae maturae colorem ducunt, praesertim in collibus apricis (cf. ad Ge. II, 398.). Virgilii Copae v. 21 diebus canicularibus jam uvae sunt maturae cum moris, melonibus, prunis cereis. Cf. etiam Columellae carmen hortense v. 400. *Ducere colorem,* de colore incipiente, utitur Ovidius Met. III, 484.

— — ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem.

Pari significatione Juven. II, 81 dicit: *uva livorem ducit*, quod scholiastes *varia fit* interpretatur, et Propertius IV, 2, 13: *variat liventibus uva racemis.* Palladius III, 29. VIII, 3, IX, 6: malus quoque, inquit, mense Julio *locis humidis* prospere *inseritur.* Plerique tamen pirum mense Sextili inserunt. Meminerimus, solum Mantuanum Mincii paludibus irrigari. Etiam Cato XLI (Plin. XVII, 24) inseri jubet pira ac mala post solstitium diebus quinquaginta. *Inserere,* quod proprie inseminare significat, est verbum usitatum rusticorum de immittendis surculis generosis, quamquam pro sententiarum contextu de quovis alio etiam inseminandi genere dici potest. Sed ut inserere, quod nego, simpliciter *plantare* et *serere* significet; quidnam hoc esset: sere pirorum grana, ut olim arbores frugiferae fiant nepotibus! An quae non degenerarint, quum alioquin e granis deteriores reddantur? Ge. II, 59. Quanto fortius: insere nunc piros, Daphni! benigni hujus sideris vis tanto eas robore augebit, ut poma earum non solum abs te, sed etiam a nato nepoteque decerpi possint! Nam pacem quoque (secum cogitat) divus Caesar de stella sua demittet v. 61, neque advenis agros nostros tam bene cultos esse patietur I, 73 — 74.

V. 51 — 55. Interpellat hic Moeris carmen inchoatum; senectute memoriam suam deminutam, vocem ipsam perisse; sed tamen Menalcam ipsum, de exsilio reducem, integrum saepe carmen recitaturum. *Omnia fert aetas*, proverbium fuit. *Ferre,*

auferre V, 34, VIII, 106. *Animus,* mens, memoria. Puer saepe per totos dies aestivos cecini. *Condere longos soles,* longos solis cursus ad quietem ducere, perducere; ut apud Horat. Od. IV, 5, 29:

Condit quisque diem collibus in suis.

Contra Ge. II, 481 *hiberni soles* breves dies vocantur. Diei horae civiles duodecim cum eo et crescebant et decrescebant. Ge. III, 327. *Oblita,* oblivioni tradita, vetustum passivum. Ipsa vox, tam canora quondam et firma, ut *Moeris* nomen inter poetas diceretur, haec ipsa senem me deficit afflictum, atque adeo rauca fit, ac si lupus prior me viderit. Fabula popularis, quicunque subito lupum priorem videntem conspexisset, eum vocem amittere, multo antiquior fuit Theocrito id. XIV, 22, ubi ad conspectum Lyci cujusdam juvenis transfertur:

Οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες, ἔπαιξέ τις, ὡς σοφὸς εἶπεν.

Jam in Platonis re publica Socrates hoc proverbio utitur de feroce Thrasymacho: • nisi ego prior eum vidissem, quam me ille, vocem, opinor, amisissem. • Etiam • in Italia, Plinius inquit (H. N. VIII, 34), creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens. •

Hinc Servius (cf. Donat. ad Ter. Ad. IV, 1, 21) proverbium explicat: *lupus in fabula,* quod repentinus ejus, de quo sermo est, interventus loquendi nobis facultatem adimit. Moerin quoque, ut Socratem, irridendi causa hoc proverbium ad subitam militum rapacium irruptionem vertisse, credere liceat. Sed *Menalcas* noster, addit, divi Julii Caesaris laudator, ab eo, qui benigni nomen accepit heres, restituetur, et te, sicut omnes Caesaris cultores integro saepius carmine canendo oblectabit.

V. 56 — 65. Memoriae infirmitatem praetexis et raucitatem? Jocaris, ut meum cantus desiderium mora irrites. Canta modo! Malacia tam grata est, quam lateribus tuis innoxia: licet quoque hic paulum requiescere. Aut si pluvia ne colligatur, metuimus, pergamus, et da mihi haedos gestandos. Lycidam ut poetam vehemens carminum, ut Caesarianum hujusmodi carminum amor decet, ut juvenem urbanitas, qua Moeridem senectute fractum esse negat curatque, ne quid ei noceat aut molestum sit. Duo Hafn. B. C. pro *caussando* vitiose habent *cantando.* Via ab Ande Mantuam versus sinuatur juxta *Mincium* late palustrem, qui paulo ante undas murmurantes ad ripam volvebat, et nunc per tranquillitatem quasi *aequor stratum,* ut nos dicimus, levis speculi instar *silet.* Modo arbores et ripae arundinosae susurrabant; jam *adspice!*

omnes ventosi murmuris aurae ceciderunt. Loci, quibus naturae amoenitates egregie describuntur, actioni intexti sunt, breviter et ad progrediendum accommodate. *Tibi,* in tuam gratiam, ut libenter et sine molestia canas. *Stratum* simul priorem aestum depingit, ut apud Theocritum VII, 57:

Χἀλκυόνες στορεσεῦνται τὰ κύματα τάν τε θάλασσαν
Τόν τε νότον, τόν τ᾽εὗρον, ὃς ἔσχατα φύκια κινεῖ.

Cadere, de vento, quiescere Ge. I, 354. *Ventosum murmur,* vehemens strepitus, strepens ventus. Cujus quidem *aurae* sive flatus omnes nunc ceciderunt: sic *aurae Zephyri* Ge. II, 330; sic *graminis herba* Ecl. V, 26.

V. 50 — 64. Media via etiam apud Theocritum VII, 10 sepulcro designatur:

Κοὔπω τὰν μεσάταν ἔδον ἄνομες, οὐδὲ τὸ σᾶμα
Ἁμῖν τῶ Βρασίλα κατεφαίνετο.

Nam mortui fere locis frequentibus longeque conspicuis sepeliebantur V, 40, ut auctore Varrone praetereuntes monerent, et se fuisse, et illos mortem manere. *Bianoris* cognomine ex Servio dictus est *Ocnus* sive *Aucnus,* princeps Tuscus, Tiberis et Mantus fatidicae filius, qui Mantuam condidit vel munivit Aen. X, 198; vaga quidem fabula, ut omnes id genus, quam tamen cum Servio etiam Cato in originibus secutus est. Mantuam enim, apud Cerdam ait, conditore Ocno Bianoro, Tuscorum principe, nobilem esse. *Stringere,* destringere, carpere, tondere. Ultima significatione Nonius Marcellus verbum accipit et hic, et Ge. II, 368, *rarefacere, excindere* interpretando. Sermo est de *frondatione arbustorum,* quibus agricola a die solstitiali usque in mensem Sextilem mane aut, ut hic, sub vesperum frondes officientes tondebat, et ad pabulum sumebat I, 57. Pabulo, Plinius ait XVIII, 68, ulmi folia stringis. Columella frondes neque luxuriari, neque nimium amputari vult. Etiam Calpurnius V, 99 per vindemiam jubet ad recentius pabulum hibernum arboribus:

— — — teneras summatim stringere virgas.

Densae frondes, quibus vites in palmites excrescentes liberandae sunt, vulgarem istam frondationem circa Sextilis initium testantur. *Hic,* sub umbris horum arbustorum intonsorum fecunditatis et operum agrestium adspectu recreati, hic requiescamus et canamus i. e. requiesce et cane. Mantuam tamen satis mature perveniemus, ut crepusculo domum nevertamur. Aut si ne subita tranquillitas *pluviam* nobis nocturnam portendat metuimus, cede mihi haedos gestandos, ut sublevatus inter eundum canas.

Secundum Plinium II, 48 venti imbribus sopiuntur. Etiam nubila conglobari cogitandum est. *Usque*, proprie de loco, inde ab extremo fine, aut ad extremum finem; tum ad tempus translatum, *continuo*, ut *protenus* I, 13. Quatuor Hafn. et Cd. Lengnichii habent *laedet*, via minus gravabit; *laedat* natum est ex propinquo *eamus*.

V. 66 — 67. Tristi severitate Moeris ei levitatem juvenilem exprobrat, quod nunc horis cantu fallendis instet, ubi negotium tale, quale est iter ad militem, animum suum sollicitet. Cantandi amorem, nisi Menalca suo reduce, sibi reddi non posse.



Schulnachrichten.

A. Gegenwärtiger Bestand des Lehrer-Personals.

1. Oberlehrer.

A. Voß, Professor.
Dr. P. Petersen, Professor.
M. G. Grabow, Professor.

2. Ordentliche Lehrer:

L. Presber.
C. Ränny.
H. Knebel, auch Lehrer der französischen Sprache.
Dr. C. A. Fritsch.

3. Religionslehrer:

Pfarrer Pfarrius, evangelischer Religionslehrer.
Caplan Lück, katholischer Religionslehrer.

4. Technische Lehrer:

A. Gleim, Gesanglehrer.
Buchner, Schreiblehrer.